

# GIURISPRUDENZA

---

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA. *Iurium*. Sentenza definitiva (Rev. X - Congregatio pro Clericis). Prot. n. 29240/98 C.A. Pompedda, Ponente.\*

In Nomine Domini. Amen.

IOANNIS PAULI PP. II Summi Pontificatus anno XXII, die 6 maii 2000,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

videntibus Em.mis ac Rev.mis Ioanne Petro Card. Schotte et Gilberto Card. Agustoni, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Mario Francisco Pompedda, *Praefecto* et *Ponente*, Iuliano Herranz, Philippo Giannini, Aemilio Eid, et Eduardo Davino, hanc tulit

Sententiam Definitivam

in causa *Dioec. N.*, Prot. N. 29240/98 C.A., inter

*recurrentem* Rev.dum X, repraesentatum per Cl.mam Adv.tam T., et

*resistentem* Congregationem pro Clericis, repraesentatam una cum Exc.mo Episcopo N. per Cl.mum Adv.tum S.,

interveniente Rev.mo Promotore Iustitiae deputato,

*respondens recursui* ad hoc Supremum Tribunal interposito, ad normam art. 123, § 1 Const. Ap. *Pastor bonus*, adversus decisionem qua Congregatio resistens die 5 maii 1998, reiciens recursum hierarchicum a Rev.do X interpositum

\* Vedi alla fine della sentenza, nota di J. MIÑAMBRES, *Diritto al sostentamento e diritto all'intimità dei chierici diocesani*.

adversus decretum diei 20 novembris 1996, quo Exc.mus Episcopus N. sacerdoti sustentationem denegaverat, idem decretum confirmavit.

#### ITER PROCESSUS

1. - Rev.dus X, anno [...] natus, sacerdos ordinatus est anno 1969 pro dioecesi N., cui iam incardinatus erat. Inde ab initio ministerii sacerdotalis attamen in dioecesi difficultates expertus est, adeo ut in primis duobus annis ter hinc inde translatus sit. Dein ab anno 1972 ad annum 1976, Episcoporum N. (scilicet Exc.mi Y eiusque successoris, Exc.mi Z) permissu officium vicarii paroecialis in duabus paroeciis Archidioecesis A exercuit. Anno 1976 officium quoddam obtinuit apud aliquod seminarium in eadem Archidioecesi situm, ubi mansit usque ad annum 1985. Quo tempore perdurante, etiam ministerium sacerdotale exercebat apud aliquam paroeciam in viciniori dioecesi B. Reversus anno 1985 ad dioecesim propriam ibi nominatus est parochus, sed anno 1987 officio renuntiavit ob difficultates in paroecia. Dein nominatus est administrator secundae paroeciae in dioecesi N. sed anno 1989 illi officio renuntiavit. Mense februario a. 1989 nominatus est vicarius paroecialis tertiae paroeciae sed vix non statim, idest mense maio, ad par officium in quarta paroecia translatus est. Ob novas difficultates etiam ibi mox exortas, die 24 iulii 1989 Exc.mus Z sacerdotem misit ad aliquod valetudinarium ut peritorum medicorum inspectioni et diagnosi ipse subiceretur.

Confecta peritia, sacerdos rediit ad dioecesim sed recusavit licentiam dare communicandae peritiae cum Exc.mo Episcopo, qui die 29 augusti 1989 statuit se non posse novum munus conferre sacerdoti quousque iste cursum therapiae

compleret. Interim autem, inscio Exc.mo Episcopo, sacerdos ministerium exercebat apud supradictam paroeciam in dioecesi B. Tandem de hoc certior factus, Exc.mus Praesul N. sacerdotem revocavit in dioecesim. Postea nonnulla conamina facta sunt ad rem pacifice componendam; sacerdos sese examini subiecit periti a semetipso selecti, qui affirmavit se non invenire psychopathologiam in sacerdote. Qui tamen pergebat in recusanda licentia communicandae cum Exc.mo Episcopo peritiae a peritis valetudinarii factae.

Mense novembri a. 1990, Exc.mus Episcopus B admisit Rev.dum X ad ministerium sacerdotale exercendum, cum permissu Exc.mi Episcopi N., in aliqua paroecia suae dioeceseos. Iam mense februario a. 1992, sacerdos, qui tunc opus pastorale explicabat in secunda paroecia B, licentiam petiit ministerium obeundi in dioecesi C, ubi olim seminarii rector tunc Episcopus dioecesanus erat. Sacerdos ibi acceptus est ad experimentum ad triennium. Duos post annos, Exc.mus Ordinarius, translatus ad sedem D, commendavit ut Rev.dus X maneret in dioecesi C. Rev.dus X dein nominatus est parochus vel administrator paroeciae in eadem dioecesi. Iuxta Exc.mum Episcopum N. vel ibi habebantur difficultates et divisiones in paroecia ob modum sese gerendi Rev.di X.

2. - Mense aprili a. 1996 admota est accusatio contra Rev.dum X de crimine adversus iuvenem patrato annis 1980-1982 in aliqua paroecia dioeceseos B. Exc.mus Episcopus N., certiore facto Exc.mo Episcopo C, die 16 aprilis 1996 Rev.do X imposuit s.d. "administrative leave", eum iubens redire ad dioecesim

intra diem 1 maii 1996, eumque convocans ad Curiam dioecesanam pro eodem die 1 maii.

Die 10 maii 1996 Exc.mus Episcopus B, invocato can. 1722, nonnullas restrictiones imposuit Rev.do X. Die 18 iunii 1996 Rev.dus X convocatus est apud Curiam B in diem 28 iunii 1996 pro investigatione ibi peragenda. Die 24 iunii 1996 Exc.mus Episcopus N. scripsit ad Rev.dum X quod:

- sacerdos manet in statu "administrative leave" et, antequam restitui possent facultates sacerdotales, sacerdotem debere "undergo psychological evaluation" apud aliquod valetudinarium ab Episcopo indicatum;

- Exc.mus Episcopus considerare non potest novum officium vel munus ("assignment") pro sacerdote sine relatione peritorum;

- interea sacerdos exercere non potest ministerium sacerdotale;

- ipse Episcopus adhuc exspectat sacerdotem qui compareat in Curia (nondum iste illuc se contulerat iuxta iussum diei 16 aprilis); si sacerdos venturus non esset coram Exc.mo Episcopo ante finem aestatis, suspensione inflictus foret a ministerio sacerdotali; si vero sacerdos sistere paruerit coram Exc.mo Episcopo per id ostendere voluerit consentire se examini peritorum subicere.

3. - Habito tandem die 27 octobris 1996 cum Exc.mo Z colloquio (in diem 1 maii 1996 indicto), Rev.dus X litteris diei 9 novembris 1996 promisit se cooperaturum esse in investigatione B, affirmavit se paratum esse accipere officium vel munus ecclesiasticum, et petiit eandem remunerationem, inde a die 1 septembris 1996, quam accipiunt omnes sacerdotes dioecesi incardinati.

Die 20 novembris 1996 respondit Exc.mus Z se non concessurum esse

"financial support" nisi Rev.dus Vir iussum iam diu datum adimpleturus esset. Insuper communicavit investigationem in dioecesi B nondum completam esse; immo latam esse novam accusationem.

Die 5 decembris 1996 Rev.dus X affirmavit se acceptare restrictiones impositas investigatione perdurante sed petiit revocationem denegationis sustentationis seu "financial support".

Litteris diei 12 decembris 1996 Exc.mus Z reiecit praefatam instantiam, statuens: "I will not give you financial support until the time that you are willing to go for psychological evaluation at [Institutum E]. If you do decide to go, it would be with the understanding that I will receive a complete report of the results of the evaluation. The psychiatrist of your choosing never really gave me the results of the testing. You have a right to privacy but as long as you will not waive that right so that I might receive a true evaluation, I cannot and will not accept you back for priestly ministry".

4. - Instantia diei 23 decembris 1996, Rev.dus X recursum interposuit apud Congregationem pro Clericis adversus decisionem diei 20 novembris 1996 die 12 decembris confirmatam.

Congregatio pro Clericis dein opportunas notitias petiit ab Exc.mis Episcopis N., B et C. Acceptis notitiis ab iisdem Exc.mis Episcopis B et N., Congregatio die 19 iulii 1997 excitavit interventum Exc.mi Pro-Nuntii Apostolici in S.F.A.S. ad rem pacifice componendam inter Exc.mum Z et recurrentem, et decisionem Congregationis adversus Episcopum vitandam: "it appears that the priest is not receiving any sustenance from the Diocese. This apparent penalty does not seem to have been imposed

by legitimate canonical process, thus, any decision on our part would probably lead to an embarrassment for the Bishop in this instance”.

Habito colloquio inter Exc.mum Z et Exc.mum Pro-Nuntium die 6 augusti 1997, Exc.mus Episcopus litteris diei 18 augusti 1997 rem fusius explicavit, exhibens nonnullis ulterioribus documentis, quae omnia Exc.mus Pro-Nuntius transmisit ad Congregationem die 26 augusti 1997.

Respondit dein Congregatio die 30 octobris 1997:

“There is a matter of some concern in regard to the use of psychological testing as leverage for evaluation of a possible return to priestly ministry. The withdrawal of sustenance may not be justified pending psychological testing. If the Bishop wishes to proceed canonically against the priest, then this should not be dependent upon the largely internal forum of the results of psychological testing, but upon the evidence in the actual ministry of the priest”.

“The practice of the Holy See and of this Congregation is very clearly expressed in the article which we are enclosing as well as in canons 220, 630, § 5 and 642. We would ask your Excellency to please inform Bishop Z about the content of this material”.

“In our opinion mediation has not yet been completed because the Bishop and priest have not come to any agreement. Perhaps Your Excellency could continue to move the mediation forward by meeting with the priest, taking into account all the while that the use of psychological testing as leverage can not serve to keep the priest without sustenance and in an anomalous situation”.

Exc.mus Pro-Nuntius dein litteris 2 decembris 1997 rettulit Exc.mo Z

mentem Congregationis. Litteris diei 6 ianuarii 1998, Exc.mus Episcopus respondit, explicans suas praeoccupaciones circa Rev.dum X et necessitatem requirendi examen peritorum ex officio, etiam vi denegationis sustentationis. Exc.mus Pro-Nuntius dein omnia transmisit ad Congregationem pro Clericis, quae votum a consultore postulavit obtinuitque. Dein, colloquio secuto cum Exc.mo Z tempore visitationis ad limina Apostolorum, Congregatio litteris diei 22 aprilis 1998 quaesivit notitias ab Exc.mo Episcopo circa remunerationem a Rev.do X receptam sive ex parte dioecesis incardinationis sive ex parte aliarum dioecesium in quibus ministerium sacerdotale ille exercuerat.

Petitis notitiis comparatis, Congregatio pro Clericis die 28 maii 1998 tandem recursum reiecit, decernens: “This Congregation hereby *rejects the recourse* of the Rev. X and therefore *upholds* the decree of the Most Reverend Ordinary, Z, Bishop of N.”.

5. - Rev.dus X, affirmans se decisionem accepisse die 11 iunii 1998, instantia diei 20 iunii 1998 a Congregatione petiit revocationem decreti quippe quia ipse decisionem iniustam aestimaverat. At Congregatio litteris diei 15 iulii 1998 respondit: “Since this Congregation is the dicastery which issued the decree, it does not admit an appeal against its own prior decision. For an appeal against the decree, you must present it to a higher administrative tribunal, in this case the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura”.

Attamen, instantia diei 9 iulii 1998 idem Rev.dus X, nulla mentione facta de interposita remonstratione, iam provocaverat ad H.S.T., ob “manifest violation of the law” relate ad cann. 271, §

2, 281, 384 et 220, petens insuper refec-tionem damnorum: "I also appeal for damages which I have sustained since 1 September 1996 due to the unlawful and unjust decrees of the Bishop of N."

Rite peracta discussione inter Cl.mos partium Patronos et Rev.mum Promo-torem Iustitiae deputatum, in Congres-su H.S.T. diei 11 martii 1999 decretum est: "recursum admittendum esse ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus". In sessione die 10 maii 1999 habita, dubia solvenda ita statuta fuere:

(1) "*An constet de violatione legis in decernendo, scilicet cann. 271, § 2 et 281, §§ 1-2 una cum can. 384, necnon can. 220, relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 28 maii 1998, prot. n. 98001125, confirman-tem decisionem Exc.mi Episcopi N. diei 20 novembris 1996*";

(2) "*An constet de violatione legis in pro-cedendo, scilicet art. 119, § 1 "Regolamento generale della Curia Romana", relate ad de-cisionem Congregationis pro Clericis diei 15 iulii 1998, prot. n. 98001178, reicientem in-stantiam Rev.di X diei 20 iunii 1998 pro re-vocatione decisionis diei 28 maii 1998, prot. n. 98001125*";

(3) "*Quatenus affirmative ad primum vel secundum, an concedenda sit aequa repara-tio damnorum*".

Rite confecto summario, Cl.mi Patro-ni exhibuerunt sua quisque memorialia et Rev.mus Promotor Iustitiae votum pro rei veritate prompsit, ad quod uter-que Cl.mus Patronus respondit. Exhibi-to nunc voto novissimo pro rei verita-te, a Nobis infrascriptis Iudicibus huius Supremi Tribunalis respondendum est superius relatis dubiis.

## IN IURE

6. - Iuxta concordationis dubiorum formulam propositam coram huius Supremi Tribunalis Exc.mo Secretario atque rite subscriptam a Iustitiae Pro-motore necnon a Partium Patronis die 10 maii 1999, agendum Nobis hodie est de recursu interposito a Rev.do X, sacer-dote incardinato dioecesi N., adversus decretum Congregationis pro Clericis diei 28 maii 1998, quod reiecit recursum ipsius sacerdotis ad Dicasterium illud interiectum contra decretum Ordinarii dioeceseos N. diei 20 novembris 1996, dein confirmatum die 12 subsequentis decembris anni 1996.

Quapropter videndum est imprimis quid per istud novissimum decretum statutum fuerit, adeo ut dein et decisio Congregationis pro Clericis recte intel-ligi valeat.

Equidem Exc.mus D.nus Z, Episcopus N., epistulari forma sub die 20 novem-bris 1996 instantiae sacerdotis Rev.di X respondit circa "desire to receive finan-cial support", statuens: "I will only give you financial support on the condition that you are willing to go to [Institutum E] to undertake intense psychological evaluation". Cum vero sacerdos idem scripto revocationem decisionis Episcopi invocasset, subsequenti epistula diei 12 decembris 1996 Exc.mus D.nus Z "once again" suam pandit voluntatem den-egandi "financial support" usque dum Rev.dus X "are willing to go for psycho-logical evaluation at [Institutum E]".

7. - Petitionis obiecto reiectae ab Or-dinario N. ita definito, statim videndum est quibusnam rationibus Congregatio pro Clericis recursum reppulerit atque decretum Episcopi confirmaverit.

Quaestionis atque litis caput illud sa-ne quidem est, utrum clerico, dioecesi

alicui adscripto per incardinationem, atque ministerio ecclesiastico illic exercendo sese haud subtrahenti aut saltem non declinanti, remuneratio vel sustentatio congrua debeatur annon (can. 281). Quapropter Congregatio eiusmodi quaestioni respondere adstringebatur, motivis quidem adductis ad rem atque ad casus speciem spectantibus.

In concreto igitur quaestionem perpendamus oportet.

Legimus in Dicasterii Romani decreto:

*“Given that the recurrent has worked outside his own proper Diocese for most of his priestly ministry, sometimes with the permission of his Ordinary and once without, always being remunerated by the Diocese or Institute for which he laboured, but thereby interrupting his connection and relationship to the Diocese”.*

Quae circumstantia utique veritati respondet, nempe recurrentem pluries apud alias dioeceses suam impendisse operam pastoralem atque didacticam, generatim ex consensu sui Ordinarii, fere numquam tamen, saltem quantum constat ex actis oblati, contra voluntatem Episcopi N.

Canon 271, secutus praecepta Decretorum *Christus Dominus* (num. 6) et *Presbyterorum Ordinis* (num. 10), quandam ut ita dicamus mobilitatem presbyterorum commendat, quidem pro sollicitudine omnium Ecclesiarum, ne pastoralis opera atque sacerdotale ministerium desint in regionibus gravi cleri inopia laborantibus, idque sane sub ductu atque auctoritate Episcopi dioecesani.

Statuit autem insuper cit. can. 271, § 2: “Episcopus dioecesanus licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere potest suis clericis ad tempus praefinitum, etiam pluries renovandum, ita tamen ut iidem clerici

propriae Ecclesiae particulari incardinati maneat, atque in eandem redeuntes omnibus gaudeant iuribus, quae haberent si in ea sacro ministerio addicti fuissent”.

Quid igitur ad rem affert factum receptae legitimae remunerationis ex parte Rev. di X, de sua impensa opera, a Curiis pro quibus ipse adlaboravit? Uti plenissime constat, res in praesentiarum alia omnino est, utrum nempe annon, *statu quo nunc* – tempore nempe inceptae litis huius – invenitur recurrens, ius ipse habeat ad obtinendum “financial support” a dioecesi N.

8. - Pergit insuper decretum impugnatum:

*“Given that the recurrent, having been accused of sexual misconduct in another jurisdiction, has returned to his Diocese at the mandate of his Ordinary”.*

Quod recurrens reversus sit in suam ipsius dioecesim, ex iussu sui Ordinarii, manifesto comprobatur sacerdotis oboedientiam erga proprium Episcopum: nihil igitur hac sub ratione improbandum contra Rev. dum X esse videtur.

Denuntiatio seu assertio delicti, praeterea, nullimode par est ad clericum sustentatione necessaria privandum, uti, a fortiori, apparet ex can. 1350, § 1.

9. - Argumentatur adhuc decisio Congregationis pro Clericis:

*“Given that the Ordinary, in order to ascertain the recurrent’s present suitability for assignment requested that the recurrent undergo evaluation by Diocesan selected experts;*

*“Given that the recurrent refused to cooperate with the Bishop and with the aforementioned evaluation and therefore was provided no office in the Diocese”.*

Implicatio hec fit cribratio decreti. Sed eadem quaestiones praepriis intra factum definitum erunt ponendae.

Reversus est nempe Rev.dus X ad suam dioecesim incardinationis: sed attentis adiunctis atque sacerdotali curriculo perpenso eiusdem, merito Episcopus N. sibimet dubium proponit an et quodnam ecclesiasticum seu pastorale officium adhuc concredi possit, utiliter quidem atque opportune, sacerdoti in sua dioecesi incardinato (cann. 149, § 1, una cum 764; 974, § 1; 1044, § 2, n. 2).

Dubium legitime ponitur, sed non tollit vinculum sacerdotis cum sua dioecesi, atque ideo ius ad subsidia materialia, praeterquam spiritualia recipienda. Interim utique Episcopus anceps fuit, sed ex parte sacerdotis nullum officium reiectum fuit propterea quia id ipsi collatum aut propositum non est. Legimus enim in decreto sub iudice: "*was provided no office in the Diocese*": aperte igitur asseritur provisionem seu collationem officii datam non esse *ex parte Curiae*, ideoque sacerdos reicere non potuit.

Res igitur redit ad can. 281 recte intelligendum atque casui applicandum (cf. cann. 281, § 2; 538, § 3; 1746; 1350, § 1; 274, § 2).

10. - Lex ecclesiastica autem, uti ceterum quaelibet alia quae sit rationabilis atque humanae dignitati congruens, aptari atque applicari debet casui singulari atque concreto, quin immo iugiter canonica aequitate servata.

Facta igitur eiusmodi cum fuerint atque sint, inquirenda nobis occurrit gravissima quaestio – eaque iuris – de obligatione nempe recurrentis sese subiciendi cuidam "evaluation by Diocesan selected experts". Quod necessario connectitur cum quinta ratione adducta in decreto Congregationis, nempe:

*"Given that a cleric must be dedicated to the ecclesiastical ministry (c. 281) and that*

*the right to reimbursement is not an absolute one and that there is a concomitant responsibility of obedience to one's Ordinary (c. 273)".*

Ad quod intelligendum atque recte perpendendum, prae oculis habeamus oportet quonam modo, pressius quam sub condicione Episcopus statuerit "financial support" recurrenti denegare. Prouti etenim superius rettulimus, Exc. mus Ordinarius id egit seu decrevit "on the condition" ostendendae ex parte sacerdotis voluntatis sese subiciendi "intense psychological evaluation", immo "until the time that you – qui est ipse recurrens – are willing to go for psychological evaluation".

Nedum igitur quaestio excitatur – ex verbis adhibitis in impugnato decreto – de iure Episcopi exigendi subiectionem examini illi, consequenter de officio sacerdotis ipsimet sese subiciendi, sed et de legitimitate nectendi seu subponendi provisionem ex se iure requisitam cum eiusmodi condicione.

11. - Principia quaedam heic praemitenda sunt, quidem iure canonico definite statuta, atque imprimis circa significationem atque vim "incardinationis" (cann. 1025, 1029, 1052). Quod institutum iuridicum sane non in privatae personae utilitatem, sed propriissime "ad Ecclesiae servitium" ordinandum presbyterum vel diaconum utilem haberi iudicio legitimi Superioris necesse est (can. 1025, § 2). Incardinatio etenim, praeter finalitatem disciplinarem, idest subordinationem Episcopo dioecesano, si agitur de aliqua particulari Ecclesia (can. 265), suam primariam significationem atque substantiam habet in relatione servitii inter clericum et structuram hierarchicam Ecclesiae, idest incorporationem particulari Ecclesiae aut alii structurae

hierarchicae pastoralis ad illi serviendum directe atque ideo per eandem in servitium universalis Ecclesiae.

Concilii Vaticani II doctrinam in *Decretis Christus Dominus et Presbyterorum Ordinis* contentam si sequamur, liquido comperiemus ibidem notionem novam incardinationis instituti inveniri, idest totalis disponibilitatis, adeo ut sacerdotes dioecesani habeantur atque sint ordinis episcopalis cooperatores, attento quod Ecclesiae particulari incardinati omnino se dedicent illius servitio "ad unam dominici gregis portionem pascebam" (*Decr. Christus Dominus* n. 28).

Incardinatio igitur cuiuslibet clerici iudicium praerequirat utilitatis in Ecclesiam, et hinc inde clericus, semel ordinatus, idoneus praesumitur ad officium vel munus ecclesiasticum accipiendum. Eiusmodi autem praesumptio cedit veritati.

12. - Prae oculis atque mente igitur habeamus clericum quendam, qui sacerdos recurrens in casu est, alicui dioecesi incardinatum, ideoque in utilitatem illius Ecclesiae particularis, plures per annos in eadem ministerio atque officio ecclesiastico functum, interim alibi plerumque ex legitima licentia adhuc pastorale munus qui obtinuerat atque exercuerat, demum ad suum presbyterium revocatum atque reversum, qui ministerium ecclesiasticum in sua dioecesi exercendum hucusque haud repulerit.

Exstante autem dubio de Rev. di X habilitate, esto psychica seu affectiva, obtinendi officium seu munus ecclesiasticum in sua dioecesi incardinationis, haud valuit dioecesanus Episcopus illi denegare auxilium vel materiale seu

oeconomicum iuxta ipsius necessitatem (can. 384), sed ante omnia dubium solvendum erat. At Legislator haud omisit providere casu quo clericus infirmitate, invaliditate vel senectute laboret (§ 2 cit. can. 281), ne ipsi desit aequa seu necessaria pecunia.

Quod si clericus ob rationes psychicas haud idoneus ad officium seu munus ecclesiasticum inveniat, ipse iis assimilandus est de quibus in can. 281, § 2, cum iure scilicet ad sustentationem ibi statuto.

Eiusmodi ius positiva lege canonica firmatum non potest conditioni ulli subponi nisi existentiae legitimi status clericalis necnon voluntati clerici ex oboedientia obeundi legitimam missionem canonicam.

13. - Subintelligit autem decretum Congregationis pro Clericis in casu adfuisse inoboedientiae actum ex parte sacerdotis coram sui Ordinarii voluntate. Quapropter videndum est, imprimis, quid, idest quonam ambitu, oboedientia clerici erga suum Episcopum importet, atque dein utrum necne obiectum iussum Episcopi, in casu, legitimum fuerit necne, idest omnino a clerico exigendum.

Iamvero nemo infitias ibit obiectum oboedientiae clerici suo Episcopo in actu ordinationis promissae et lege positiva canonica praeceptae coarctari debere intra ambitum vitae ducendae sacerdotali dignitati congruentis necnon ministerii iuxta normas legitimas ecclesiasticas acceptandi atque exercendi.

Sane utique iure atque officio obstringitur dioecesanus Episcopus inquirendi super habilitate suorum sacerdotum ad munera ecclesiastica obeunda atque exercenda: omnino tamen de-



negandum est eiusmodi legitimum finem consequendum esse mediis quae violant "ius cuiusque personae ad propriam intimitatem tuendam" (can. 220). Quin insuper haud desunt et alia legitima et congruentia media quibus usus Episcopus, vel adhibita prudentia atque consilio proborum et vitae experientia praedictorum potissimum ex viris ecclesiasticis – non excluso, si casus ferat, voto periti super actis –, certum iudicium adipisci valet de subiecti particularis habilitate ad exercendum ministerium seu officium ecclesiasticum.

14. - Ex hucusque igitur expositis rationibus, quod attinet primum concordatum dubium, videtur satis superque constare de illegitimitate in discernendo ex parte Congregationis pro Clericis, in casu, intra ambitum de quo in memoriali Rev.mi Promotoris Iustitiae diei 27 martii 2000, ubi legitur: "Quoad cann. 220 et 281, § 2 simul consideratos, seu quoad relationem, in casu, inter ius ad intimitatem vitae tuendam et ius ad necessariam sustentationem: habetur reciproca violatio legum. Una ex parte, praeceptum intimitatis vitae revelandae sacerdoti impositum cum minis denegati iuris ad necessariam sustentationem conatus illegitimus est obtinendi «il libero consenso dell'interessato, che non può essere estorto in alcun modo». Alia ex parte denegatio iuris ad ea quae necessaria sunt pro honesta sustentatione ob non concessum consensum illegitima est quia motivum denegationis est legitimum exercitium iuris sacerdotis ad intimitatem vitae tuendam. Sacerdos iura habet tam ad necessariam sustentationem quam ad intimitatem vitae tuendam et non proponuntur motiva cogentia pro utroque iure ei legitime denegando in circumstantiis concretis".

15. - Quod vero attinet ad secundum propositum dubium, nempe de violatione legis in procedendo, nihil esse addendum Patres aestimant argumentationi Iustitiae Promotoris: "Cum Rev.dus Recurrens, accepta decisione Congregationis diei 15 iulii 1998, nec ullum recursum adversus eam intra terminum statutum coram H.S.T. interposuerit, nec intra eundem terminum exemplar decisionis vel saltem ad rem notitias Cl.mae eius Patronae miserit ut ipsa recursum coram H.S.T. interponeret, infrascriptus, quoad secundum dubium, respondendum censet: *Considerari non potest*".

16. - Tertio sane loco, resolutis duobus prioribus dubiis atque ideo recognita illegitimitate actus administrativi impugnati, infrascriptis superest enodandum tertium dubium, quod quidem attinet ad damnorum reparationem actu illegitimo illatorum. Neque infitias ibit hoc Supremum Tribunal eiusmodi potestate donari, praecipiente art. 123, § 2 Const. Apost. *Pastor bonus*: "praeter iudicium de illegitimitate, (Signatura Apostolica) cognoscere etiam potest, si recurrens id postulet, de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum". Quod ceterum plene congruit cum lege Ecclesiae universali, ad rem explicitis canonibus exstantibus (cfr. can. 128 CIC et can. 935 CCEO). Refectio damnorum in re non subicitur probato dolo aut culpa, sed necessarium consecrarium est unius declaratae illegitimitatis actus impugnati.

Sane quidem gravissimi momenti in re exstat certae legis interpretatio, apud iuris canonici Magistros opiniones haud univocae prolatae cum fuerint. Ita, aliquando assertum est difficillime in foro ecclesiastico poni posse quaestiones de

damnis quae non sint naturae moralis aut spiritualis: quod tamen nescitur quibusnam argumentis aut principiis suffragetur. Reapse, in subiecto casu, occurrit definita quaestio, atque formalis petitio ex parte Recurrentis de reparandis damnis ordinis oeconomici, propterea quia controversia Nobis definitive delata spectat principaliter ni unice damnum pecuniarium illatum eidem per decretum Episcopi, dein confirmatum a Romano Dicasterio.

Attamen, ne heic ponatur atque disceptetur quaestio mere doctrinalis et abstracta, dicendum est verba legis coarctari non posse veluti "a priori", sed relinquenda esse legitimo Interpreti si et quatenus in medium afferantur eorundem significatio atque amplitudo.

Neque difficultatem facit, in casu, quaestio a Canonistis contradictorio modo enodata, utrum scilicet petitio refectionis damnorum proferri debeat una cum recursu an vero etiam postea, dummodo tamen reapse petatur ab interesse habente. In praesentiarum etenim dubium in re positum respondet formali petitioni a Recurrente una simul cum recursu libello porrectae huic Tribunali.

17. - At praeterire non possumus determinationem subiecti cui onus incumbit reficiendi damna, nempe, in concreto, Episcopo auctori decreti primarii an potius Dicasterio Curiae Romanae quod illum actum probavit.

Iamvero si ad legis textum animus vertatur, recursus patens ad hoc Tribunal admittitur adversus actus administrativos singulares, qui a Dicasteriis Curiae Romanae profluunt, sive ab iisdem latos sive probatos, indirecte autem tantummodo ad originarium ac-

tum administrativum, in casu ab Episcopo decretum, iudicium revertitur. At normaliter Signaturae Apostolicae iudicium fertur super Dicasterii Romani actu administrativo singulari.

Sed, ut quaestio de subiecto adstricto refectioni damnorum iterum examine- tur, dicendum est, saltem in factispecie hodie Nobis proposita, adfuisse in casu duplicem auctorem actus illegitimi declarati, nempe sive Episcopum sive Dicasterium Romanum, adeo ut solidalis obligatio exurgat pro iisdem reparando damno. Verum quidem, insimul denegandum non est institutum quod, in damno inferendo Sacerdoti X sese locupletare valuit, nempe quod apud se retinuit pecuniam haud solutam, sed solvendam ex hac Nostra decisione, eidem Sacerdoti, unam tantummodo dioecesis N. exstare. Atque ideo, re finefinaliter quidem, Dicasterii Romani officium esse adstringendi Episcopum illius dioecesis ad damnum sacerdoti eidem illatum reparandum.

18. - Quod damnum in casu constat pecuniae summa debitae sacerdoti recurrenti, tantummodo ex can. 281, § 2, inde a die 27 octobris 1996, additis quidem foenoribus legalibus, iuxta dioeceseos N. taxationes.

Denique tandem infrascripti Domini Patres statuerunt huius executionem esse Congregationis pro Clericis, quae providere debet committendo, imprimis quod attinet ad pecuniae debitae computationem, Em.mo Metropolitanae A: qui dein de peractis hoc Supremum Tribunal suo tempore certius reddere tenetur.

#### QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

Infrascripti Patres pro Tribunali ad sententiam definitivam proferendam sedentes, Christi Nomine invocato et so-

lum Deum prae oculis habentes, propositis dubiis respondendum censuerunt uti respondent:

**Ad primum:** *AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in discernendo, sed tantum quoad cann. 271, § 2 et 281, § 2 una cum can. 384, necnon can. 220 – non autem can. 281, § 1 –, ex parte Congregationis pro Clericis die 28 maii 1998, prot. n. 98001125, decreto confirmantis decisionem Exc.mi Episcopi N. diei 20 novembris 1996.*

**Ad secundum:** *CONSIDERANDAM NON ESSE assertam violationem legis in procedendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 15 iulii 1998, prot. n. 98001178, reicientem instantiam Rev.di X diei 20 iunii 1998 pro revocatione decisionis diei 28 maii 1998, prot. n. 98001125.*

**Ad tertium:** *AFFIRMATIVE ET AD MENTEM;* mens autem est concedendam esse *aequam reparationem damnorum:* quod importat aequam sustentationem (ex § 2 can. 281) computandam inde a die 27 octobris 1996, additis quidem foenoribus legalibus, iuxta dioeceseos N. taxationes; huius tamen decisionis executioni provideat Congregatio pro Clericis committens pecuniae debita computationem Em.mo Metropolitanae A.

Pro expensis retineatur summa a Recurrente deposita in arca H.A.T.

Congregatio pro Clericis Patronis Publicae Auctoritatis et Recurrentis congruum solvat honorarium, imputandum Exc.mo Episcopo N., una cum expensis quos Recurrens sustinere debuit ad hoc iudicium peragendum.

Quam sententiam iusserunt notificari omnibus quibus de iure, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signa-

turae Apostolicae Tribunalis, die 6 maii 2000.

(Signati) Ioannes Petrus Card. Schotte  
Gilbertus Card. Agustoni  
✠ Marius Franciscus Pompedda, *Praefectus et Ponens*  
✠ Iulianus Herranz  
✠ Philippus Giannini  
✠ Aemilius Eid  
✠ Eduardus Davino

13 februarii 2001

Notificetur.

✠ FRANCISCUS XAVERIUS SALERNO  
*Secretarius*  
VINCENTIUS CÁRCEL ORTÍ  
*Moderator Cancellariae*